

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. Nr. 296.

Gesner, Jul. (Zug disputations)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit  
Jacobs Tappia.

comptur 1.13.7





DISPUTATIO VI.

*De Traditionibus,*

PRO EXAMINE  
TRIDENTINI CONCILII,

a Theologo principe, Dn. D. Chemnicio Con-  
signato. V. Capitibus constans.

- I. De propositione & summâ.
- II. De primâ Traditionum classe.
- III. De secunda classe.
- IV. De Tertiâ.
- V. De Quartâ.

in privato Collegio Theologico;  
præside

SALOMONE GESNERO,

S. S. Theologiæ Doctore & Professore publico, in  
celeberrimâ Academiâ VVittebergenfi. horâ  
& loco consuetis, proposita

IONA BERGERI RHOTOVIO

*Svecosmalando.*

Anno Epochæ Christianæ. 1602. die 24. Febru:

*Galat : 1. v. 9.*

καὶ ἄρτι πάλιν λέγω, εἴ τις ὑμᾶς εὐαγγελίζεται, παρ' ὃ  
παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω.

VVITTEBERGÆ,

Typis VVolfgangi Meisneri,





VIRIS REVEREN-  
DIS, DOCTRINA, PIETATE COE-

terisq; virtutibus præstantibus,

D. M. PETRO IONÆ Diaceſeos VVexio-  
nensis Episcopo dignissimo.

D. STENONI MAGNI præposito  
Cathedrali.

D. M. IOHANNI PETRI Vngio.

D. ERICO IONÆ Angermanno.

D. M. CANVTO IONÆ BROKE.

D. M. CORNELIO CHRISTIANI  
VVafelio.

VVexionen: Syneſſij aſſeſſoribus honorandis.

NEC-NON.

Satrapia Sunnerboënsis amplissima, Pastoribus Vigilantissimis &  
Patribus, fautoribus & amicis colendis & multum di-  
lectis.

Themata hæc Theologica offert, consecrat, dicat.

Jonas Bergeri Rhotovius.  
Svecoſmolandus.



# T H E S I S I.



**N**ostram de Sacra scriptura autoritate, necessitate, perfectione, Translatione & interpretatione, adversus Iesuiticam factionem hactenus exposuimus sententiam. Sequitur ut traditionum Iesuiticarum monstrum paucis dispiciamus, subq. Examen vocemus. Solent verò Pontificij contentione acerrimâ pro hoc monstro horrendo pugnare, non aliter ac si palladium aliquod esset, quo servato, arx Pontificia, ab hostium irruptione immunis esset futura.

## II.

Vt autem, quo hoc in certamine uti consueverunt stratagemate, rectius cognoscamus, hocq. cognito, facilius legitimis admotis arietibus, arcem oppugnare & monstrum illud nefandum opprimere queamus, Ante omnia metam certam figamus, certumq. questionis statum ad quem tela deinceps cuncta dirigenda sunt, ponamus: Tum etiam ut quàm bellis firmisq. in hoc conflictu nitantur armis, an nimirum illa talia sint, ut eorum conspectum exhorrescere debeamus, consideremus probe, necessum est.

## III.

Gravis profectò hac in Causâ nobis cum Pontificijs controversia intercedit, non enim de lanâ Caprinâ, ut nonnulli opinantur, sed de re longè gravissimâ, utpote aeternam salutem concernente, inter nos quaritur. An nimirum traditiones non-scriptæ ad fidem Christianam vitamq. piè instituendam necessario requirantur; Et utrum Pontificiorum traditiones, quas è scriptura probari non posse ipsimet fatentur, pari pietatis affectu ac reverentiâ suscipienda sint, ac prophetarum & Apostolorum scripta? Nos (ut ex superioribus disputationibus manifestum est,) utrumq. negamus, illi v. affirmant. Conc. Trid. Sess. 4. Dec. 1. Bellar. lib. 4. c. 3. Cap. 1.

## IV.

Notandum verò cum primis est, Pontificios hac suâ detractionibus

ditionibus disputatione, nihil querere aliud, quam ut abusus omnes prater & contra scriptura normam, in Ecclesiam à se Ethnicà quadam superstitione in vectos, & prescriptione temporis aliquà confirmatos, non modo Ecclesiasticæ consuetudinis, sed & Apostolicarum traditionum titulum præ se ferre, astute magis quam argute ostendant. Et verò quid non licet fingere admissio semel hoc postulato, non opus esse documentis & probationibus ex scripturis. Quis item error tam crassus & palpabilis esse possit, qui à quoquam, si vetustate & errantium multitudine pallietur, commode poterit refutari?

## V.

Pesito proinde questionis statu, Adversariorum, quibus in hac causâ confidere solent, perscrutemur rationes. Et licet vocabulum traditionis generale sit Actor: 6. 14. competens omni doctrinæ sive scriptæ sive non scriptæ, à Pontificijs tamen in hac controversiâ, pro doctrinâ non-scriptâ tantum usurpatur, Bellar: c. 2. Conc. Trid. Sess. 4. Decre. 1.

## VI.

Quod ipsum sanè iustâ reprehensione minimè caret. Luce enim meridianâ clarius est, vocabulum traditionis non uno & eodem modo semper usurpari, nec eiusdem generis esse traditiones in veterum contentas monumentis. Sophisticè itaq; agunt Pontificij, cum sine discrimine traditiones eiusmodi confundunt & commiscunt, deq; unâ (quod dicitur) fideiâ, omnes dealbare presumunt.

## VII.

Vt igitur fucus hic eorum melius detegatur, faciliusq; quam æque onitantur fundamento, intelligatur opera precij est, quid tum in Veterum monumentis tum etiam in sacris paginis traditionum nomine venire soleat diligenter perpendemus. Possent quidè haud inepte duum generum traditiones constitui. Aliæ enim sunt divinæ, aliæ v. humanae, illæ quidem vel expressè in scripturâ contentæ, vel bonâ consequentiâ inde dependentes; Hæ v. partim piæ, utpote ad εὐσχημοσύνην in Ecclesiâ pertinentes 1. Cor. 14. v. 40. partim palam impiæ verbo Dei litem manifestè intendentes, &

pictatis

pietatis nervos incidentes, ideoq; ex albo & censu rerum divi-  
narum prorsus expungenda.

VIII.

Verum vestigijs R. & clariss. D. D. Chemnitij insistentes in  
otto Classes illas tribuimus, & dispescimus. Quarum quidem qua-  
tuor hac disputatione, ceteris; sequentibus commissis, pertractabi-  
mus. Multum enim refert scire, quae testimonia veterum, ad quam  
Classem traditionum proprie perrineat, quidq; de singulis censen-  
dum sit. Hac namq; ratione, manifestum evadet, illa quae Speciem  
aliquam hac in causâ habere videntur, regni Pontificij corrupte-  
lis, abusibus & superstitionibus, nequaquam patrocinari.

CLASSIS PRIMÆ.

De primâ significatione Traditionum.

IX.

In primâ itaq; Classe, illa Veterum Testimonia, in quibus tra-  
ditionis nomen, doctrinam à Christo & Apostolis vivâ voce pro-  
positam, & ab Evangelistis & Apostolis, scripturis sacris compre-  
hensam denotat, reponimus. Quale est illud Cyprian: Epist: 74.  
ad Pomp: Si aut in Evangelio precipitur, aut in Apostolorum Epi-  
stolis aut Actibus continetur, ut à quacumq; heresi venientes non  
baptizentur, sed tantum manus illis imponantur in pœnitentiam,  
observetur etiam & hac sancta traditio. Et, si in aliquo vacilla-  
verit veritas, ad originem Dominicam, & Apostolicam tradi-  
tionem revertamur. Sed unde est ista traditio, inquit, utrum de  
Dominicâ & Evangelicâ autoritate descendens, an de Apostolo-  
rum mandatis atq; Epistolis veniens? Ea enim facienda esse quae  
scripta sunt, Deus testatur & proponit, ad Iesum Nave dicens,  
Ios. 1. v, 7. 8. Non recedet liber legis huius ex ore tuo. Si ergo aut  
in Evangelio precipitur, aut in Apostolorum Epistolis &c. ut pau-  
lô antè dictum est.

Cap. 2o

X.

Nec aliter traditionis vocabulum à D. Basilio lib. 3. contra  
Eunoz: de baptismo differente usurpatum legimus. Ἰὸ το σαρῶε:

A 3,

μάχεται:



μαχεται τῆ παρὰ δόξα τῶ σωτηρίῳ βαπτισματος. De sacrâ scripturâ hoc intelligi, facile ex immediate sequentibus patet. Addit enim, Baptizandos esse infantes in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, καὶ τῶ τῶ κρητὶ παρὰ δόξῃ. Hanc v. doctrinam Christus, Hanc etiam Apostoli & Evangelista in scriptis reliquerunt. Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15.

## XI.

Praclarum huius rei apud Euseb. lib. s. c. 20. Irenæi extat testimonium. Qui Florinum Hæreticum, malas à Deo naturas esse conditas impiè & blasphemè asserentem, refutaturus, ad traditiones Polycarpi, quem & Irenæus & Florinus olim præceptorè habuerunt, provocat; dicitq; sibi recenti in memoriâ esse, Polycarpum multa populo narraſſe, de Christo, eiusq; miraculis & doctrinâ, quæ ab ijs qui Christum viderant, audierat; Et addit se omnia illa, non in chartâ sed in corde inscripsisse. Tùm v. statim quæ illa fuerant subjungit, inquiens, ea Polycarpum tùm percipisse, tùm proposuisse, quæ fuerant σύνφωνα ταῖς γράφαις.

## XII.

possent in hanc sententiam, quàm plurima tùm ex Veterum monumentis, tùm etiam sacris paginis proferri testimonia, nisi instituti ratio reclamaret. Nec opus esse existimo, in re manifestâ, moram necere longiorem. Sufficiat proinde ex multis, pauca hæc, quibus Adversariorum causa maxime debilitatur, delibasse, de cæteris enim in progressu copiosius agendi dabitur occasio.

## XIII.

Hæc cum ita sint, neminem fore existimo, quin Pontificiorum fraudem, in veterum testimonijs tractandis, facile cognoscat. Quæ fraus eò magis detestanda & execranda est, quo cum majore coniuncta est temeritate & audaciâ. Etsi enim ipsos minimè latet, (quem enim latere possit, sole quod clariùs splendet?) quàm validissimè hæc in causa, ex patrum scriptis legitime adhibitis, confundi & refelli possint, eius tamen impudentia sunt, ut semper in ore habeant, Patres, Patres, Patres.

14. Et



## XIV.

Et quamvis omnes quos adferre solent Pontificij Patres, nobis infesti essent, cuius contrarium partim ostensum est, partim deinceps ostendetur, nihil tamen hoc cause nostrae obstaret. Fides enim nostra non ex patribus, sed ex scripturis sacris pendet. Cavendum proinde semper est, ne nimium patribus tribuamus cum Papistis, sed in illis legendis, jus & libertatem nostram tueamur, omniaque ipsorum dicta ad scripturae normam examinemus, cum qua si consentiant, recipiamus: Sin vero dissentiant, bona cum illorum venia respuamus. Et hoc est quod ipsi patres hac in re fieri volunt, dum scripta sua, non cum necessitate credendi, sed cum libertate iudicandi, ab omnibus legi iubent. Vide August. lib. 3. contra Max: Aria: c. 14. item. in Com: in Psal: 57. Ambros: lib. 1. ad Gratia: de fide cap. 4. Aug: in 112. Epist: idem lib. de natura & gra: c. 61.

## XV.

Neg, tamen quaevis hic iudicandi approbanda est, non dico libertas sed licentia, qualem sibi Pontificij temerario ausu arrogant, qui veterum scripta non modo pessime interpretari inque peregrinum sensum detorquere, sed & mutilare ac detruncare pro libidine, sibi licere inepte contendunt, ut ex Indice expurgatorio & recentioribus patrum editionibus manifestum est.

## XVI.

Hinc concinna Pontificiorum, scilicet, existunt tam frequentes in patrum scriptis expositiones. Cuiusmodi illa est qua Athanasij dictum excipiunt, qui in tractatu, quem scripsit pro decretis Synodi Nicenae contra Eusebium Nicodemiensem, ait, Illam sententiam ex patribus ad Patres, per manus traditam fuisse. Hic Pontificij scopo neglecto alta voce exclamant, traditiones suas a Patribus ad Patres quasi per manus ad se transmissas esse. Sed bona verba quaeso; Nam longe a scopo aberras Iesuita; Athanasius enim loquitur de vocabulo *ὁμοδοξία*, idque non novum esse & a Patribus Nicenis tum primo excogitatum, sed ab antiquioribus Patribus agnitum atque usurpatum fuisse probat.

17. Neg.

## XVII.

Neque verò ex eo sequitur non posse idem vocabulum scripturis comprobari. Patres enim scripturæ ductu vocẽ eam usurparũt. Notandum enim est nos de verbis, præsertim à sacris literis non discentiẽtibus, non disputare, sed de verborum sensu, de dogmate, & doctrinã. Non enim vocabula ea respicimus, quæ etsi quoad Syllabas in scripturis nusquam reperiantur, sensum tamen nõ habent à scripturis alienum; Cuiusmodi est vox Trinitatis, Persona, Hypostaseos, ὁμοούσις, aliaque ejus generis: Sed dogmata nova, de quibus scripturæ nihil loquuntur, reijcimus, nullumq; dogma ut necessarium suscipimus, quod in scripturis non sit fundatum.

## XVIII.

Ad eundem etiam modum, Iustini Martyris sententiam quandam, pro commentitijs suis traditionibus confirmandis, contra & præter authoris mentem, adhibent. Dicunt enim Iustinum in Apologiã secundã multas proferre Traditiones, quas Ecclesia Catholica hodieq; veneratur. Scribit enim, inquit, Christianos tum temporis die Dominica convenire solitos esse: Deinde vinum cum aquã in Eucharistiã miscuisse. Tertio Eucharistiam non nisi baptizatis præbendam esse.

## XIX.

Sed quid quaeso hoc ad rhombum? primam enim & ultimam quod spectat, ex scripturis utraque probari potest. Illa ex Apoc. I. v. 10. Actor. 20. v. 7. 1. Cor. 16. v. 2. Hæc v: ex 1. Cor. 11. v. 28. De Tertiã non multum laboramus. Quamvis enim ea consuetudo olim fuerit, ut ex Cypriano Carthaginensi, 2. lib. Epistolarum, 3. Epist. Alexandrino item, lib. 2. Cap. 2. de pedagogo constat: tamen cum non magni sit momenti, de eã non acerbè est contendendum. Temperabant autem vinum aqua tum ut commodè biberetur, tum ut sanguinem cum aquã è latere Christi profluentem Ioh. 19. in memoriam revocarent.

## XX.

Solent verò Pontificij D. D. Chemnitium acerbius tractare, quòd Cyprian: loco supra citato, Traditionis vocabulo doctrinam  
scriptam

scriptam denotasse affirmet. Facile autem ex ipso disputationis scopo, Cypriano eo loci prefixo, vera Chemnitium dixisse apparet. Cyprianus enim in illâ Epistolâ, non tam de miscendâ aquâ cum vino, uti garriunt Adversarij, quàm contra Aquarios, qui vinum repudiabant, & aquâ solâ utebantur in Eucharistiâ, disputat. Contra illos itaque ait, Dominicam Traditionem esse servandam, & hoc Chemnitius noster affirmat.

## XXI.

Quam porrò Patrum lucubrationibus adhibent censoriam virgulam, eandem etiam stupendâ audaciâ, ad sacras transferre paginas non erubescunt. Enim verò cum semel verecundiæ fines transilierint, gnaviter eos impudentes esse oportet.

## XXII.

Nam cum orthodoxi ad primam hanc traditionis classem, scriptura dicta plurima pertinere affirmant, qualia sunt; 2. Thess. 2. vers. 15. ἄρα ὅτι ἂν εἰποὶ σὺν ἔτε, ἢ κατ' ἔτε τὰς παραδόσεις. 1. Cor. 11. v. 2. 23. & 34. 1. Tim. 6. v. 20. 2. Tim. 1. v. 13. 2. Tim. 2. v. 2. 2. Ep: Ioh. v. 12. 3. Ioh: v. 13. & 14. Ioh: 16. v. 12. Ioh: 21. v. ult. Act. 1. v. 12. Jerem 31. v. 32. 33. &c.

## XXIII.

Pontificij negant, eaq; omnia mire suggillant, Ex primo enim testimonio, arrepto vocabulo traditionis, colligunt multas esse non-scriptas Traditiones. Sed Apostolum hoc loco, & scriptæ & traditæ doctrine mentionem facere merito affirmamus, illo presertim tempore, cum Thessalonicenses tot non haberent, quot nos per Dei gratiam Canone Novi Testamenti constituto, habemus libros. Quâ verò hinc à pontificijs contra nos conclusum est? Nihil plane.

## XXIV.

Quis enim nisi mente captus, bonam hanc Pontificiam diceret consequentiam, quâ ita arguantur? Quando Apostolus hanc ad Thessalonicenses dedit Epistolam, tum omnia necessaria non sunt scripta, ergo nec iam omnia necessaria in canone edito reperuntur. Diversissima enim est temporis ratio, qua observata, facile fucus ipsorum apparet. Non itaque diversa hic intelligitur ab eâ quæ scriptis est comprehensa doctrina.

## XXV.

Et licet hoc eludere conentur, affirmantes Apostolum Thes-  
salonicensibus nonnulla tradidisse quæ in scripturis non inveniun-  
tur. Vtpote de tempore adventus Antichristi. Nihil tamen effici-  
unt, imò stultitiam suam, sacrarumq; literarū inertiam produunt.  
Si enim Apostolus Thes: quo die Antichristus venturus esset ape-  
ruisset, qui igitur secundum Christi adventum ad iudicium, sta-  
tim & subito instare putassent?

## XXVI.

Secundum dictum ita evertere conantur. Esse reverà aliquas  
Traditiones Apostolicas non-scriptas, patet, inquit, ex praxi  
Apostolicâ, 1. Cor. 11. v. 2. 23. notatâ. Duplicis enim co loco quæ-  
stionis ab Apostolo tractatio instituitur. Vna de modo orandi, De  
modo sumenda Eucharistia altera. Quarum utramq; à Traditione  
orditur Apostolus. Bell. lib. 4. c. 5.

## XXVII.

Verum extra oleas vagantur Adversarij. Non enim queri-  
tur inter nos & ipsos an omnia quæ vivâ voce Apostoli tradide-  
runt, literis sint consignata, sed an omnia necessaria, omnes enim  
ceremonias liberas in scripturis nominatim traditas esse non af-  
firmamus, neque de his cum Adversarijs ulla nobis est contentio.  
Illud itaque si concedatur ipsis multa scilicet Apostolos dixisse, quæ  
in literas relata non sunt, nihil profectò inde contra nostræ cause  
defensionem colligi potest. Et, si hoc loco Apostolum de doctrinâ  
loqui, detur, facile ex ipso textu patet, totam ipsius doctrinam in-  
telligi. Ait enim ὅτι πάντα μὲν μνήσομεθα. De summâ itaq; doctri-  
nâ loquitur Apostolus, in qua quædam sunt necessaria & perpe-  
tua, quædam libera, quæ pro ratione circumstantiarum in specie  
non verò in genere, flecti & mutari possunt.

## XXVIII.

Proinde sive hic locus apostoli, de doctrinâ necessariâ intelli-  
gatur; Sive de ceremonijs liberis; argumentatio Iesuitica nos mi-  
nime attingit. Illa enim perfectè in ipsius Epistolis iam comprehen-  
sa est. Has verò nominatim notari necessum non fuit, sufficit enim

S

si finis & ratio earum servetur, ut nimirum omnia ordine & decenter in Ecclesia fiant. Versum porro 23. quod attinet: Haud obscure statim Apostolus, quid à Domino acceptum Corinthijs tradiderat, docet. ὅτι inquit, ὁ κύριος ἔδωκεν ἐν τῇ νυκτὶ ἡμετέρα ἰδοὺ τοῦ ἔλαβεν ἕξτον. &c. Hanc verò Traditionem scriptam esse, non solum ab Apostolo, sed etiam ab Evangelistis, Matth. Marc. & Lucà, nemo Christianorum ignorat.

XXIX.

Nec magis causa Adversariorum versus 34. ejusdem cap. in quo tamen maximum causa sua presidium positum volunt, patrocinatur. Inquit verò Apostolus, cætera cum venero, dissimam. Sed, inquiunt illi, quid disposuerit, nusquam scriptum reperitur. Catholicis verò merito censent eum non solum ritus & ceremonias disposuisse, sed alia etiam graviora tradidisse. Ut de Ministrorum ordinatione, de altaris sacrificio, deque aliorum sacramentorum materiâ & formâ.

XXX.

Sed nugæ sunt. Apostolus enim vel de rebus levioribus, & ritibus ac ceremonijs externis, ad ordinem & decorum pertinentibus, uti ex verbo διατάξομαι colligitur; ut de uberiore explicatione eorum quæ scripta sunt, uti Chrysostomus innuit, loquitur.

XXXI.

Proinde si pontificij urgent Apostolum hinc ea intelligere, quæ illi tanti faciunt; Sacrificium nimirum altaris, ordinationem Ministrorum; Sacramentorum institutionem; Necessum habent alterum horum affirmare, vel sua hac omnino necessaria non esse. Sermo enim ipsi Apostolo est de rebus non necessarijs, Vel Quædam necessaria tum temporis, Corinthijs ab Apostolo non fuisse tradita. Quod est ipsi Apostolo in os contradicere, ut ex 1. Cor. 1. v. 5. & 1. Cor. 15. 1. 2. liquidò constat.

XXXII.

Vbi obiter notandum venit, quàm præclaro fundamento **PONTIFICIA** dogmata non quidem leviora, sed gravissima



illa, de sacrificio Missæ, de Sacramentorum materiâ & formâ & c.  
pro quibus tanquam per aris & focis pugnare solent, nitantur. Hoc  
nimirum quod ipsi ponunt. Bellar. lib. 4. c. 7. Opinione, inquit  
enim merito censent Catholici. Censent quidem, sed quàm merito,  
judicet qui iudicio valet. Ego sane dicerem, in re longè gravis-  
simâ aternam concernente salutem, non standum esse opinione,  
nimirum sic ijs fundamenta sunt jacienda, qui homines de aternâ  
suâ salute, semper hesitare volunt.

## XXXIII.

Ex his, de reliquis testimonijs, quæ pro suis commentitijs tra-  
ditionibus confirmandis, magno quidem apparatu sed iudicio  
nullo, proferre solent Pontificij, iudicandum erit. Et profectò mi-  
rum est ipsos, traditiones suas fictitias ex sacris literis velle pro-  
bare, cum tamen ipsorum etiam confessione, nullo scripturæ testi-  
monio doceri & probari possint. Neq; ipsos pudet eiusmodi loca ci-  
tare, in quibus Apostoli & Evangelistæ publicè ad populum com-  
muniter scribunt, ut ex antecedentibus patet; Cum tamen ipsi fa-  
reantur traditiones suas tam esse Divinas, ut non nisi cum sapien-  
tibus fas sit illas communicare. Bellar. lib. 4. c. 11. Et hæc quidem  
de primâ traditionum Classe dixisse, sufficiat, ubi ad oculum de-  
monstratum est, vocabulum traditionis, pro doctrinâ scripta, tum  
in Patrû monumentis, tum etiam in sacro codice usurpari. Ideoq;  
à Pontificijs ad suas traditiones quæ ex scripturâ doceri non pos-  
sunt, stabiendas, impertinenter adhiberi.

## CLASSIS SECUNDA.

## XXXIV.

Cap. 3.

Ad secundam hanc traditionum Classem, e Veterum Testi-  
monia referimus, quibus primitivè Ecclesiæ, de libris sacræ scri-  
pturæ, non interruptâ serie temporum, (ut loquitur Augustinus)  
certaq; connexionis successione, à se custoditis, & fideliter ad po-  
steros transmissis, nobisq; quasi per manus traditis, indubitata te-  
stificatio denotatur.

35. Hulus

## XXXV.

Huius generis multa in veterum reperiuntur monumentis testimonia, ex quibus pauca delibasse sufficiat. Sic Origenes se *ἡσασαδ' ὄσει*, per traditionem dedicasse ait, quatuor Evangelia in universâ Ecclesiâ esse indubitata. Eodem sensu Eusebius in disputatione de libris Canonicis, vocabulo traditionis utitur.

## XXXVI.

Neg. v. opus esse existimo prolixè hîc, in rationem huius traditionis, h. e. Ecclesie testificantis de libris Canonis, inquirere, illa enim quaestio in præcedente tertia disputatione copiosè satis pertractata est. Etenim hanc traditionem, qua nobis in manum dantur sacra scripturae libri, reverentiâ summâ exosulamur & acceptamus.

## XXXVII.

Volebat enim pia Antiquitas, sua hac testificatione de germanis scripturae libris, se totamq. posteritatem ad vocem doctrinae in ijs sonantis, adamantinè esse alligatam. Vnde & illi qui tempore Patrum apud Ecclesiam veritatem quaerebant, ad scripturas deducebantur, teste Augustino de Catechizandis rudibus.

## XXXVIII.

Quod idem & de se, cap. 5. contra Epistolam Manichæi, apertè testatur. Longa enim serie quomodo ad Ecclesie Catholicae fidem sit deductus, pertexit, scribit enim sibi Evangelium à Catholicis, multis nominibus esse commendatum, qui dixerunt, credite Evangelio. Atq. ibidem vulgatam subjungit sententiam, de qua Pontificij mirè gloriari solent; Ego inquit, Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret autoritas.

## XXXIX.

His præmissis, iam quid Adversarij contra inferre soleant dispiceamus. Cum inquit Ecclesie traditio de sacra scripturae libris testificans à vobis acceptetur, quâ fit quod reliquas traditiones de quibus Pontificia Ecclesia testificatur, respuitis? Siquidem Ecclesie testimonium aut semper reijciendum, aut semper

B 3.

acceptan-

acceptandum est. Verùm dicimus ad hæc, ingens esse inter primitivam Ecclesiam quæ tempore Apostolorum & Apostolicorū fuit, de sacra scriptura libris testificantem, & inter Synagogam Pontificiam, quæ vis pro Apostolorum traditionibus commenta, nobis abstrudere, sine ulla probatione conantem.

## XL.

De illâ enim liquido constabat, quòd ab Apostolis originem traheret; Hanc v. non Apostolicam sed Diabolicam esse, etiam Ippis & Ionsoribus notum est. Illa enim se à doctrinâ in scriptura sacra libris contentâ, pendere publicâ testata est testificatione. Hæc contrâ, doctrinam sacram à suâ autoritate suspensam sibiq; subjectam esse, ausu nefando proclamat.

## XLI.

Deindè non temerè quicquid ab Ecclesiâ proponatur, à Patribus acceptare jubemur. Nam etsi Augustinus Ecclesie testificatione commotus est, ut Evangelium legeret, & doctrinam divinitus patefactam, in eo contineri crederet; Postquam tamen ad Evangelij cognitionem pervenit, haudquaquam se plus Ecclesie quàm Evangelio, si nimirum aliquid contra Evangelium, vel ut Pontificij loquuntur, quod nullo scripturae testimonio doceri posset, proponeret, crediturum affirmat. Imò anathemate omnes perstringit, qui quicquam annunciant quod in scripturis legalibus vel Evangelicis non sit fundatum. Addit quod dicto in loco, Manichæo credere recuset, cum in Evangelio de ipsius Apostolatu suspiciam legeret.

## XLII.

Præterea, cum huius traditionis de scripturae libris mentionem injiciant Patres, illam ex primitivæ Ecclesie testificatione indubitanter confirmant. Quod cum Pontificij de suis commentarijs traditionibus præstare non possint, jure optimo respuuntur & damnantur ab orthodoxis, Vbi enim *συμφωνία* illa, quam supra Irenæus primitivæ Ecclesie traditiones cum sacra scriptura habere



bere affirmavit, haberi nequit, merito ut adulterinum quicquid traditur, reijciendum est.

## XLIII.

Praeclaram sanè Hieronymus, traditionum dijudicandarum, in cap. 1. Haggai, rationem & modum praescribit, inquit: Gladius Dei, qui est sermo Dei vivus, percutit illa omnia, quae absq[ue] autoritate & testimonijs scripturarum, quasi traditione Apostolica homines sponte reperiunt & consingunt. Parumne hic B. pater, nostros perstringit Pontificios?

## XLIV.

Hinc proinde patet, Ecclesiam primitivam suã traditione, sacros libros nobis hac lege commendare, ut reliqua omnia dogmata, quocumq[ue] veniant titulo, ad illam exigenda esse moneat, & quae illi consentiunt recipienda, quae vero ab eadem dissentiunt, cance pejus & angve fugienda esse.

## XLV.

Hac si Pontificij negent, necessario ad Pharisaeorum traditiones & totam Thalmudicam Cabalam recipiendam adiguntur. Iudeos enim Augustinus librarios nostros & scrinarios haud in scite vocat, quippe qui custodes fuerunt librorum Veteris Testamenti, secumq[ue] custodiam illam hodieq[ue] in ipso exilio circumferentes.

## XLVI.

Quamvis itaq[ue] in distinctione quam adhibere solent, inter Pharisaeos & prophetas, latibulum & elabendi rimam querant, affirmando Ecclesiam, V. T. libros, ex traditione non pharisaeorũ, sed prophetarum, Christi & Apostolorum, accepisse. Nihil tamen proficiunt. Cum enim res haec seriem requirat, dicente Augustino, incorruptam, quis quæso ab illa testificatione de libris V. T. excludat pharisaeos? praesertim cum eorum hac in parte testimonium ab ipso Christo & Apostolis, nusquam improbatum legatur.

## XLVII.

Dicimus proinde aliud esse Ecclesiae testificationem historicã,

ad

ad quam exemplo Christi, ipsi admittendi sunt Pharisei: Aliud vero Traditionem dogmaticam, quae sola ex libris sacris, & non ab ullo hominum peti debent. Et hoc ipsum tum Christus tum Apostoli Phariseas superstitiones respuendo, testificationem autem eorum de libris V. T. acceptando, suo exemplo comprobant.

## XLVIII.

Quemadmodum ergo Pontificij ob Thalmudicarum Traditionum reiectionem, approbatam tamen Iudaeorum de libris V. T. testificationem, reprehensione vacare volunt, & merito quidem, nihil enim cum scriptura sacra, fictitia illa traditiones habent commune. Ita etiam nos omni vacamus culpa, si Traditionibus pontificijs ad sacrarum literarum examen revocatis, pauloq; diligentius examinatis, omnes quae cum illis consentiunt acceptemus, quae ab iisdem dissentiunt, gladio Dei, seu sermone Dei vino percutiamus. Quicquid ergo Iudaeo, haec ipsis obijcitur, respondere se posse gloriantur Adversarij, id a nobis simili in causa, sibi responsum habeant.

## XLIX.

Atque haec de secunda classe; ubi ostensum est probatumque, Traditionem primitivae Ecclesiae, de libris V. T. testificantis, omnino nihil cum pontificijs nugis, quibus a Deo ad homines abducimur, habere commune. Merito itaque eas ex agro Ecclesiae evellimus, & tanquam zizania semini Dei inimica, pedibus concubamus.

## CLASSIS TERTIA.

## L.

Tertia Traditionum classis, illa continet testimonia, quae ipsorum doctrinam & professionem, quorum cura & fidei Ecclesiae ab Apostolis sunt commissa, designant. Quo pertinet illud Iren: lib. 3. cap. 4. Non oportet, inquit, adhuc querere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, in illam enim Apostoli, tanquam in depositarium dives, omnia quae veritatis sunt, conmutaverunt.

runt: ut quicumq; velit, ex ea vita potum petat. Hic enim vita est introitus, reliqui vero omnes fures sunt & latrones. Illos proinde de vitare oportet, quæ autem sunt Ecclesia, magnâ cum diligentia diligere, & veritatis Traditionem apprehendere.

L I.

Et porro. Quid si neq; Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis; Nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam Tradiderunt ijs, quibus Ecclesias committebant? Cui ordinationi assentiuntur multæ gentes barbarorum, sine caractere & arramento, scripta habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterem Apostolorum Traditionem diligenter custodientes. Hæc ille.

L II.

Cum Irenæo Tertullianus facit, de præsc: adversus Hæreticos. Hanc, inquit, dirigemus præscriptionem. Si Christus Apostolos misit, ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quàm quos Christus instituit. Quid autem prædicaverint, hoc est, quod ipsis Christus revelaverit, & hæc præscribant, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis tam vivâ voce, quàm per Epistolas prædicando. Et paucis interjectis. Si hæc ita sint, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit; reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei.

L III.

Præclare hæc de Traditionibus, non verò pontificijs, dicuntur. Quibus alia permulta, & si Thesium consignandarum ratio obstaret, addi possent. Vbi autem vident pontificijs, hæc nos ex patrû panopliâ depromere, quibus maxime laduntur, arma; facileprehendunt se apertomarte contra nos nihil effecturos. Quæ igitur ipsorum plusquam vulpina astutia est, rem per cuniculos agere aggrediuntur, furtim in veterum prerepentes monumenta, &

C

muti-

mutatas ac truncatas inde sententias excerpentes, quas deinde velut in Triumpho, omnibus suis libris praefixas, circumducunt.

## LIV.

Sic cum nos multa, ex Tertulliano de praescri: adv: Hereticos, contra Pontificios proferimus; illi ex eodem libro, (quem eò libentius nos approbare sciunt, quòd à Tertulliano antequàm Montanà Hæresi insiceretur, scriptus sit:) hanc sententiam producunt, quæ sic habet. Non ergo ad scripturas provocandum, nec in his constituendum certamen, in quibus, aut nulla, ut incerta est victoria. Quæ sanè, primà fronte pro Adversarijs multum facere videtur; sed rectius examinata, adq; disputationis scopum Tertulliano praefixum accommodata, eos gravissimè vulnerat.

## LV.

Duo itaque hic cum primis perpendenda sunt. 1. Quid in hac disputatione, contra Hereticos istius temporis, sumpserit defendendum. 2. Qualesnam fuerint illi Heretici, quibus cum decertabat.

## LVI.

Prius quod attinet, certum est ex ipso textu, disputationem non de levioribus quibusdam dogmatibus, cum scripturâ sacrâ dissentientibus, recipiendis, fuisse institutam, ut volunt Pontificij: Sed de gravissimis & maxime necessarijs, quæ ex scripturis invictissimè demonstrari poterant. Ad verbum enim tum Irenæus tum Tertullianus, articulos illos fidei, quos Symbolum, (vulgo hodiè) Apostolicum continet, recitant.

## LVII.

Alterum itaq; quòd spectat, manifestum est, Tertullianum cum ijs Hereticis rem habuisse, quibus cum Irenæum supra disceptasse diximus. Hi vero negabant scripturas esse perfectas: Aiebant etiam Apostolos non omnia omnibus, sed quaedam perfectis tradidisse. Cumq; vel Irenæus vel Tertullianus scripturas proferebant, illi eas contemnebant, lacerando & corrumpendo. Aliquos  
insu-

insuper ex Evangelistis, Prophetis & Apostolis, reijciabant. In  
summâ Adversariorum nostrorum mores egregiè repræsentarunt,  
quid enim horum non faciunt Pontificij?

## L VIII.

A scripturis itaq; (ut antea Irenæus) provocat Tertullianus  
ad Ecclesiam eiusq; disciplinam, non quidem ad non-scriptam do-  
ctrinam, quæ ex scripturis confirmari non poterat, sed ad eius  
doctrinæ defensionem & propagationem, quam Apostoli vivâ voce  
in Ecclesiis ab ipsis fundatis traditam reliquerunt. Vndè contra  
Praxeam. Id verum, quodcunq; prius. Id adulterinum quod-  
cunq; posterius. Hæreticos ergo affirmantes Apostolos non omnia  
publicè proposuisse, sed quadam dogmata perfectioribus tradi-  
disse, refutaturus, ad Ecclesiam jure optimo provocat, quia si hu-  
iusmodi aliqua fuissent, Ecclesia ab Apostolis fundata, ea habe-  
rent ac retinerent.

## L IX.

Vult itaque Tertullianus, prius Hæreticis istis probare, apud  
quos sit scripturarum veritas, quàm ex ipsis scripturis contra il-  
los disputare, contra quos aut nulla aut incerta ex ipsis scripturis  
victoria esset futura. Quàm ergo sceleratè faciunt Pontificij, hanc  
Tertulliani sententiam aliò detorquentes, quasi ideò à scripturis  
ad Ecclesias provocarit, quod in disputationibus de dogmatibus  
fidei, in his nulla aut incerta omnino esset victoria. Quod Tertul-  
liano ne per somnium, us nec cæteris Patribus, unquam in men-  
tem venit.

## L X.

His expositis, quænam fuerit vera & vetus Apostolorum &  
primitiva Ecclesia traditio, nemini dubium esse potest. Ipsi enim  
Patres unanimi consensu eam affirmant esse, Antiquissima Sym-  
bola, summam doctrinam, & Apostolicæ traditionis completenti,  
ut est apud Irenæum. lib. 3. c. 4. Qui locus contra Adversarios  
diligenter est notandus. Ibi enim exponit, quales traditiones Gen-  
tes nonnullæ barbaræ custodire solita sunt. Has nimirum, quibus  
C 2 profi-

profitebantur se credere in unum Deum, fabricatorem Cæli & terra, & omnium qua in eis sunt, per Christum Iesum filium Dei, qui propter eminentissimam erga figmentum suum, dilectionem, eam qua esset ex virgine, generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo. &c.

## LXI.

Sic idem lib. I. cap. 2. Ecclesia, inquit, per universum orbem, usq; ad fines terra seminata, & ab Apostolis ac discipulis eorum eam accepit fidem, qua est in unum Deum, Patrem omnipotentem. &c. Hanc professionem & fidem Ecclesia & quidem in universum mundum disseminata, accepit, diligenterq; custodit, quasi unam domum inhabitans. Similiter ijs credit euasi unam animam habens & unum cor. Hac consonanter prædicat & docet, ac tradit, quasi unum possidens os. Etsi enim in mundo loquelæ dissimiles sunt; Virtus tamen traditionis una & eadem est. &c.

## LXII.

Nec aliter Tertullianus de his traditionibus scribit. Regula, inquit, fidei est, quæ creditur unum omnino esse Deum, nec alium præter mundi conditorem, qui universa ex nihilo produxit, per verbum suum. Et paulò post concludens, ait; Hac regula ut probabitur à Christo instituta, nullas habet apud nos questiones, nisi quas Hæreses inferunt, & quæ Hæreticos faciunt.

## LXIII.

Has traditiones nequaquam Pontificij agnoscunt, quæ tamen ut ex antecedentibus patet, veræ sunt & germanæ Apostolorum, ac primitivæ Ecclesiæ. Et ut constaret nobis, Pontificios non potissimum de veris, certis & antiquis illis Apostolorum & Ecclesiæ traditionibus, contendere, sed de alijs rebus, quas regni Antichristi stabiliendi causâ, sub titulo & prætextu traditionum Apostolicarum, nobis obtendunt; Patres Tridentini Concilij, Symboli confessionem à traditionibus sejunctam esse voluerunt.

## LXIV.

In adversarios proinde appositè illud Tertull: de præscri:  
qua

quadrat. Credunt sine scripturis, ut credant contra scripturas. Atq, sic Tertiâ hac Classe probatum est, veram, certam & Antiquam Apostolorum & Ecclesie primitivæ traditionem, cum scriptis Apostolicis quarû summâ est complexa; arctissimo fœdere conjunctam fuisse; ideoque cum Pontificijs nugis & fabulis omninonihil facere.

CLASSIS QUARTA.

LXV.

Cap. 5.

Palàm est ex Veterum monumentis, fuisse ipsis, non solum de scripturâ ipsâ, sed etiam de ipsius expositione & nativo ac genuino sensu, cum Hereticis acerbissima certamina. Sic enim Tertull. inquit. Ista heresis, tametsi scripturas aliquatenus integras præstat: Nihilominus tamen diversas expositiones commentata, convertit. Et tantum veritatis obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus. In his certaminibus pia Antiquitas, interdum ad traditiones provocat Apostolicas, quæ in Ecclesiis tunc syncerae adhuc servabantur. Quales verò traditiones istæ fuerunt, inter nos & Adversarios controversatur.

LXVI.

Hanc proinde litem Quartâ hac Classe dirimam, & patres per illas traditiones, non aliam & diversam doctrinam à sacra scriptura, ut nugantur Adversarij, sed planè eam quæ ab Evangelistis & Apostolis in literas est relata, intellexisse, planum faciam. Quâ in caasâ, ad ipsa patrum provocandum censeo monumenta, in ijs enim quid de hac re judicandum sit, satis abundè explicatur.

LXVII.

Iactabantur ab Hereticis quibus cum Antiquitas de genuinâ scripturæ expositione decertabat, traditiones. Cum enim illi scripturam non sicut in manifestis locis sonabat, exponerent (ut auctor est Irenæus lib. 3. c. 3. & lib. 2. c. 35. & seq.) sed ex figuratis, parabolicis & obscuris locis falsa & prodigiosa quedam extrucent, quibus deinde manifestos & apertos scripturæ locos eludebant,



bant, reprehensi sunt ab orthodoxis: Tunc certè has interpretatio-  
nes ex traditione non-scriptà se accepisse pratexebant.

## LXVIII.

Quia v. dubium nullum est primitivam Ecclesiam, ab Aposto-  
lis & Apostolicis viris, non tantum textum (ut loquimur) bibli-  
cum, verum etiam legitimam & nativam ejus interpretatio-  
nem, accepisse, quam cum ad illa usq; tempora sine fictione custo-  
dierat, ut loquitur Irenaus lib. 4. c. 63. ita ut certis constaret  
documentis, à quibus eam esset nacta, in hoc itaq; conflictu, p̄  
Patres ad veram Ecclesia traditionem provocant.

## LXIX.

Quales verò traditiones intellectas volebant, exponit ipse  
Iren: lib. 4. c. 63. legitimam inquit eam expositionem esse, qua  
fit secundum scripturas. De qua re libro 2. cap. 46. & 47. aliquot  
scripturae explicandae regulas tradit, quas huc transcribere vi-  
sum est, ut eo fortius premantur Adversarij, qui veras illas &  
Antiquas Apostolorum traditiones, suas esse, gloriari solent.

## LXX.

1. Scripturae sensus sanus est omnisq; periculi expers, quae aperte  
& sine ambiguo, ipsis dictionibus in scripturis ponitur. Habemus  
enim regulam, inquit, ipsam veritatem, & in aperto positum Dei  
testimonium. Sive ut Aug: loquitur. In his qui aperte in scrip-  
turis sunt posita: Omnia ad fidem moresq; vivendi pertinentia,  
continentur. 2. Si in scripturae dictis, proprietates literae, vel in Ar-  
ticulum fidei, vel locum scripturae alium manifestiorem impin-  
gere videatur, tunc à litera ad δὶ λόγῳ à dicto ad ἀναλογία fidei,  
descendendum est. Quod idem Apost. Ius, Rom. 12. v. 6. fieri jubet.

## LXXI.

3. Cavendum esse docet, ne scripturae particulam aliquam arreptam,  
expositio contra doctrinae corpus temere instituat, h. c. Secun-  
dum plura declaranda esse pauciora. 4. Ex quo multa sint in scri-  
pturis mysteria, quae ob infirmitatem nostram indagare perscruta-  
rive



rive non possumus, monet cautè esse agendum; Et, si horum omnium expositionem invenire non valeamus; alium tamen Deum non requiramus.

## LXXII.

Tertullianus vult Symbolum Apostolicum, scriptura exponenda formam & regulam esse, quã salvã inque suo ordine manente, quavis in scripturã quæ videntur vel ambiguitate pendere; vel obscuritate aliqua obumbrari, tractari & inquiri possunt. Hinc D. Aug: Genesim expositorus, articulos fidei pramittit; & si in difficilimarum questionum explicatione, inquit, nihil contra hanc regulam protulero, erroris argui minimè debeo, licet forte sensum & mysteria verborum ubiq; non fuero assecutus, nec per omnia questionibus istis satisfacisse videar.

## LXXIII.

Habemus proinde, quid pia Antiquitas de veris & genuinis Apostolorum & primitiva Ecclesie Traditionibus senserit; quales eas esse statuerit, ad quas in scriptura expositione provocãrit. Cum his autem si Pontificij suas traditiones per omnia demonstrarint consentire, hoc est, illa tantum sapere, quæ in Symbolis, Apostolico, Niceno & Athanasiano continentur, seu quod idem est, quæ sunt σὺμφωνα ταῖς γραφαῖς, libenter eas acceptamus; sin minus, ut figmentum humanum, imo verò diabolicum, detestamur, & pio zelo execramur. Dominus noster Iesus Christus, immania hæc Hæreticorum monstra ab Ecclesiã & Scholis suis arceat benignè, & nos in veritate conservet, sermo eius veritas est.

τῷ θεῷ μόνῳ δ' ἔξα.

ΣΥΓΓΡΑΜΜΑ ad Humanissimum & ornatissimum  
Dn. Respondentem.

**H**aud secus, ac psaltes diuino flamine quondam  
Conspicit à longe radiis fulgentibus hostes,  
In Christum Dominum temerè sua tela vibrantes  
Cernimus. Ab rabies latas se fudit in oras:  
Rugit ubi aduersus Dominum fera bestia Romæ:  
Chemnitiana cui hæc certamina condita certum est  
Aurea; Rothovius quæ propugnanda putasti.  
Hæc tibi lumen erunt, ut cernere monstra viarum,  
Pontificis liceat, tetricas piceasq; lacunas;  
Et Suitas miseros vasto sub gurgite nantes,  
Nautâ flucti vago detruso ad tartara moesta,  
Verè hic Romanâ detectâ fraude, nitore  
Dogmata sunt Magni proprio celebrata Lutherâ  
Perge tibiq; tuisq; sacro prodesse labore,  
Quo petitur cœlum, quo gloria vera paratur.

Isaac Bergeri R. Sveco-Sinolandus.

A L I U D.

**P**alladius teneris artes cognoscere ab annis,  
Semper, Iona, tibi sedula cura fuit.  
Sedula cura fuit, meliorem querere cultum  
Ingenij, Aonidum doctaq; castra sequi.  
Ergo Minerua sui cupidum te suscipit, atq;  
Ritè, sophus fias qua ratione, docet.  
Primò, operam graijs tribuas, pariterq; latinis,  
Illa iubet studijs, inde disertus eris.  
Mox simul astrorum motus, causas quoque rerum  
Abstrusas aperit, docta Minerua tibi.  
His tamen in studijs, omnes non conficis annos,  
Gnaviter a veram, Iona sitis Sophiam.  
Hæc dabitur tibi, cum doctè sacra Biblia versas,  
Differis, & cupida mente reponis eam.  
Frugiferos ergo inceptos decurre labores  
Ingenij vigeant inclyta dona tui.

Ionas Nicolai Oriensulanus.

99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




DA>OC

Retro

VD17







117  
6



RATIO VI.

*aditionibus,*

# XAMINE NI CONCILII,

e, Dn. D. Chemnicio Con-  
Capitibus constans.

*summâ.*  
*ditionum classe.*  
*se.*

collegio Theologico;  
præside

E GESNERO,  
ore & Professore publico, in  
miâ VVittebergensi. horâ  
svetis, proposita

GERI RHOTOVIO  
cosmalando.

ianæ. 1602. die 24. Febru:

ut : 1. v. 9.  
τις ὑμᾶς εὐαγγελίζεται, παρ' ὃ  
σω.

EBERGÆ,  
Iffgangi Meisneri,

